



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 252. Vtrùm imago Dei inueniatur in quolibet homine, non autem in
creaturis irrationalibus? & vtrùm Angeli sint magis ad imaginem Dei, quàm
homines?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

Neque enim cæci creati erant, ut imperitum vulgus, quam tamen difficile est assignare, opinatur.

30. Dicendum secundo cum Magistro in 2. dist. 18. & Scholasticis communiter, quibus consonat Sanctus Thomas 1. p. quæst. 91. art. 3. & 4. primos homines creatos fuisse in eo statu, qui conuenit hominibus in perfecta ætate: & quia homines in perfecta ætate iam obtinent perfectum corporis, & virium augmentum, ideo creati fuerunt cum perfecta magnitudine, & perfectis viribus. Probari potest ex Augustino, qui lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 13. affirmat Deum potuisse hominem in hoc statu creare, & addit Deum id fecisse, quod omnipotentem, & sapientem posse, ac facere congruebat; sed congruebat Deum creare hominem in hoc statu perfecto: ergo. Idem expressius docet lib. 1. de Peccat. meritis, & remissione, cap. 37. ubi id confirmat exemplo aliorum animalium, quæ producta sunt in statu perfecto.

31. Non conueniunt auctores in assignando, quamnam ætate homines initio mundi essent in perfecto statu magnitudinis, ac virium. Caietanus existimat ætatem illam fuisse annorum 60. Pererius 50. Alij dicunt ætatem perfectam fuisse 34. circiter annorum, quæ fuit ætas Christi, quæ etiam dicunt Sanctos surrecturos, iuxta illud Apostoli ad Ephesios 4. 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ideo Sanctus Hieronymus epist. 27. ad Eustochium, quæ est Epitaphium Paulæ, circa finem dicit, *Nos esse surrecturos in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi:* & addit: *in qua & Adam Iudei conditum autumant, & hanc opinionem Hieronymus non solum refert, sed approbat, ut notat Marianus Victorius: & hæc opinio videtur probabilior.*

31. Rursus non conueniunt auctores in explicando, quamnam initio mundi esset statura perfecta, in qua proinde creati fuerint primi parentes. Moses Barcephas in lib. de Paradiso, qui habetur to. 1. Bibliothecæ Patrum, refert aliquos dixisse primos homines fuisse tantæ magnitudinis, ut ex terra Paradiso propinqua in Syriam per mare pedibus transierint, quod ex Athanasio, & Cyrillo confirmare nitentur, apud quos Patres nullum huius fabulæ vestigium inuenitur. Ioannes Lucidus lib. 1. de Emendatione temporum, cap. 4. docet Adamum fuisse Gigantem maximum. Reijciuntur. Nam primi parentes creati fuerunt à Deo in illa statura, quæ maximè est conueniens naturæ humanæ, & maximè conducit ad pulchritudinem, & ad exercendas operationes humanas; sed sicut paruitas pumilionum per defectum, sic proceritas gigantum per excessum, parum est proportionata homini, ac non conducit ad pulchritudinem, & ad operationes humanas exercendas, sed potius illas impedit, & facit, ut homo sit monstrosus; ergo. Dicendum igitur primos parentes creatos fuisse cum statura maximè proportionata homini, sine excessu, ac defe-

32. Quæritur demum, utrum Adam, & Eva creati fuerint sexta die?

Respondeo affirmatiuè. Probatum ex Scriptura, quæ sexta die post formationem aliorum animalium terrestrium narrat formationem Adam, & Heuæ. Confirmatur: nam Gen. 2. dicitur Deus requieuisse ab omni opere, quod patrarat. Suarius lib. 3. de opere sex dierum, cap. 4. plures rationes affert ex Patribus, propter quas Deus productionem hominis in vltimum locum reservauit. Prima est, quia cum homo constet ex spiritu, & corpore, fuit conueniens, ut prius crearentur substantiæ purè spirituales, ac purè corporeæ, deinde substantia humana composita ex spirituali, & corporea. Hæc ratio ex Concilio Lateranen. sub Innoc. III. insinuat cap. Firmum de Summa Trinitate per illa verba: *Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spirituales, & corporeas, deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam.* Videtur verò hæc ratio desumpta ex Nazianzeno. orat. 38. de Christi natiuitate. Secunda ratio est, quam ex eodem Nazianzeno affert Damascenus lib. 2. de fide, cap. 12. Cum enim Deus creauerit hominem, eorum, quæ in terra sunt Regem, oportebat, ut regis palatium prius construeretur, in quo postea rex introduceretur, ut loquitur Nazianzenus orat. 43. Ex professo hoc punctum tractat Ambrosius enarrat. 1. ad Hontianum.

QVAESTIO CCLII.

Virum imago Dei inueniatur in quolibet homine, non autem in creaturis irrationalibus? & utrum Angeli sint magis ad imaginem Dei, quam homines?

S. Thom. quæst. 93. art. 1. 2. 3. 4.

1. **Q**uia gen. 2. primi homines dicuntur fuisse facti ad imaginem, & similitudinem Dei, S. Thomas postquam q. 91. & 92. egit de productione primorum hominum, q. 93. explicat, quo pacto in hominibus inueniatur imago Dei, ac proinde sint facti ad imaginem, & similitudinem Dei?

2. Quæritur ergo primo, an, & quo pacto imago differat à similitudine?

Respondet Sanctus Thomas art. 1. huius quæstionis 93. quod sicut S. Augustinus dicit lib. 83. quæst. q. 51. *ubi est imago, continuo est & similitudo; sed ubi est similitudo, non continuo est imago.* Similitudo ergo comparatur ad imaginem, sicut genus ad speciem, puta sicut animal ad hominem: et sicut genus ita est de essentia speciei, ut species supra genus addat differentiam, eo pacto, quo homo supra animal addit rationalitatem, sic similitudo ita est de

de essentia imaginis, ut imago supra similitudinem addat aliquam differentiam. Imago igitur est, quæ ita est similis alteri, ut procedat ad imitationem illius. Hinc sequitur, quod unum ovum potest esse simillimum alteri, absque eo quod sit imago illius, quia nimirum non procedit, nec processit ad eius imitationem.

3. Quæritur secundo, utrum ad imaginem requiratur æqualitas, ac proinde id, quod est imago alterius, debeat esse æquale illi?

Respondeo, quod ut docet S. Augustinus eodem libro 83. quæst. 73. *Vbi est imago, non continuè est æqualitas*, ut patet in imagine alicuius in speculo relucente, quæ imago non est proculdubio æqualis homini, cuius est imago. De ratione tamen perfectæ imaginis est, ut sit æqualis ei, cuius est imago. In perfecta enim imagine non deest aliquid, quod infit exemplari, ex quo est expressa, & si desit, eo ipso est imago defectuosa, & imperfecta.

4. Quæritur tertio, utrum in homine sit imago Dei, & utrum talis imago sit perfecta, vel imperfecta?

Respondeo, quod in homine est imago Dei, non quidem perfecta, sed imperfecta. Probat. Nam similitudo deducta ab aliquo tanquam ab exemplari, est imago; sed in homine datur aliqua similitudo Dei deducta ex Deo, tanquam ab exemplari, ut magis explicabitur infra; ergo in homine datur imago Dei: sed ista similitudo est in homine, non secundum æqualitatem, sed cum infinita inæqualitate, & distantia à perfectione exemplaris existentis in Deo: ergo in homine est imago Dei, non perfecta, sed imperfecta, ac infinitè degenerans ab exemplari. Hanc imperfectiorem, & distantiam insinuat Scriptura Gen. 1.1. dicens, hominem factum esse ad imaginem Dei. Propositio enim ad eo loco significat accessum quemdam, qui convenit rei distanti.

5. Quæritur quarto, utrum, & quo pacto esse imaginem Dei sit proprium primogeniti, de quo idcirco dicit Apostolus ad Coloss. 1. *Qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creature*.

Respondeo, quod proprium primogeniti, hoc est filij naturalis Dei, qui est simul unigenitus, & primogenitus, est esse imaginem perfectam Dei, cum sit æqualis Patri, ut exemplari, ad cuius imitationem procedit, ac sit illi consubstantialis per unitatem naturæ, & essentiae diuinæ, ut explicatum est quæst. 98. Ideo filius Dei dicitur quidem imago Dei, sed non ad imaginem Dei, quia esse ad imaginem, importat quamdam distantiam, & quemdam defectum, ut dictum est num. 4. At homo, quia in aliquo est similis Deo, dicitur imago Dei: quia est imperfectè similis, dicitur ad imaginem Dei. Addit S. Thomas, quod quemadmodum in creatis imago perfecta regis est in filio regis sicut in aliquo eiusdem naturæ, & est in nummo argenteo, sicut in aliquo di-

versæ naturæ; sic imago Dei Patris est in filio Dei, sicut in aliquo eiusdem naturæ cum Deo Patre, & est in homine, sicut in aliquo diversæ naturæ, ut docet Augustinus lib. de decem chordis, cap. 8.

6. Quæritur quinto, utrum ad imaginem sufficiat similitudo secundum genus, vel secundum accidens commune pluribus speciebus, vel requiratur similitudo secundum speciem, vel saltem secundum accidens proprium speciei, ac præsertim secundum figuram?

Respondet Sanctus Thomas art. 2. quod non qualibet similitudo, etiam si sit expressa ex altero, si sit solum secundum genus, vel secundum accidens commune pluribus speciebus, sufficit ad imaginem propriè dictam, sed requiritur, ut sit similitudo secundum speciem, vel secundum accidens proprium speciei. Probat. nam vermis, qui procedit ex homine ut homini similis secundum genus animalis, non dicitur imago hominis; ergo ad imaginem non sufficit similitudo secundum genus. Rursum si aliquid fiat album ad similitudinem alterius albi, non dicitur imago illius, quia est illi simile secundum albedinem solum, quæ est accidens commune pluribus speciebus: ergo ad imaginem non sufficit similitudo secundum accidens commune pluribus speciebus; ergo ad imaginem propriè dictam requiritur similitudo secundum speciem, ac proinde secundum ultimam differentiam, vel saltem secundum aliquod accidens proprium speciei: & quia ex accidentibus sensibilibus figura est maximè propria speciei, puta figura hominis est maximè propria hominis, figura equi est maximè propria equi, ideo imagines sensibiles dicuntur quæ sunt similes secundum figuram, puta imago hominis est, quæ similis est homini secundum figuram, imago equi, quæ similis est equo secundum figuram. In hoc sensu intelligendus est Hilarius, qui lib. de Synodis dicit, quod imago est *Species indifferens*. Imago enim debet esse similis in specie, vel in figura speciei.

7. Quæritur sexto, utrum imago Dei propriè inveniatur in solis creaturis rationalibus, & intellectibus, vel etiam in creaturis irrationalibus?

Respondeo, quod inveniatur in solis rationalibus, & intellectibus, ideoque solæ intellectuales creature, propriè loquendo, sunt ad imaginem Dei. Ratio est, quia ex dictis n. 6. ad imaginem propriè dictam non sufficit similitudo secundum genus, sed requiritur similitudo secundum speciem; sed species, vel quasi species Dei consistit in hoc, quod sit summus intellectus; ergo illæ solum creature sunt ad imaginem Dei, quæ sunt rationales, & intellectuales, præsertim quia eum ipso, possunt cognoscere Deum, ut Deum, & in quantum differt à creaturis, possunt repræsentatiue, & intentionaliter esse similes Deo secundum ultimam differentiam Dei, quam repræ-

representant. Ex creaturis ergo quadam assimilantur Deo in aliquo communissimo, hoc est in ratione entis, in quantum sunt, & hæc similitudo inuenitur in omnibus creaturis: aliqua Deo assimilantur, in quantum non solum sunt, sed viuunt; aliqua non solum in quantum sunt, & viuunt, sed etiam sapiunt, & intelligunt; & istæ, ut dicit S. Augustinus lib. 83. qu. 51. ita sunt similes Deo similitudine proxima, ut in creaturis nihil sit Deo propinquius. Ideo idem August. lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 12. dicit. *Hoc excellit in homine, quia Deus ad imaginem suam hominem fecit propter hoc, quod dedit ei mentem intellectualem, qua præstat pecoribus.* Quia tamen omne imperfectum est quadam participatio perfecti, ideo etiam creaturæ irrationales, quæ deficiunt à ratione imaginis, tamen in quantum habent aliqualem similitudinem Dei, participant aliquid de ratione imaginis. In hoc sensu Dionysius lib. de diu. nomin. cap. 2. dicit. *Habent causata causarum suarum contingentes imagines, ac proinde etiam creaturæ irrationales, cum sint causatæ à Deo, habent in se, non quidem simpliciter, & absolute, sed secundum quid imagines Dei, ut docet Sanctus Thomas in resp. ad 1. Radius autem solaris, quia est maximè diffusiuus sui, representat specialiter diuinam bonitatem se ad omnia diffundentem, ideoque Dionysius cap. 4. de diuinis nominibus dicit, quo radius solaris maximè habet similitudinem diuinæ bonitatis, licet quia non habet naturam intellectualem, non sit similis Deo in natura, prout requiritur ad imaginem.*

8. Quæritur septimo, vtrum mundus siue vniuersum sit factum ad imaginem Dei?

Respondeo, quod sicut homo, qui constat ex corpore, & anima rationali, ac intellectu, factus est ad imaginem Dei secundum animam rationalem, & intellectualem, non autem secundum corpus, sic vniuersum constans ex creaturis rationalibus, & irrationalibus factum est ad imaginem Dei secundum creaturas rationales, & intellectuales, non autem secundum irrationales, ut docet Sanctus Thomas in resp. ad 3. Boetius lib. 3. de Consol. metro 9. dicens de Deo, *Mundum mente gerens, similique in imagine formans*, nomine imaginis intelligit opus artificiatum, quod procedit ut simile idæ, siue exemplari existenti in mente artificis, in quo sensu mundus procul dubio factus est ad imaginem Dei, cum sit factus ut similis. Idem existenti in mente Dei. At cum mundus non sit intellectualis, non est imago Dei, in quantum ad imaginem Dei requiritur similitudo in natura intellectuali. Aduertit Sanctus Thomas in resp. ad 3. quod *vniuersum est perfectius in bonitate, quam intellectualis creatura, extensiuè, & diffusiuè; sed diffusiuè, & collectiuè similitudo diuinæ perfectionis magis inuenitur in intellectuali creatura, quæ est capax summi boni.*

9. Quæritur octauo, vtrum Angelus sit ad imaginem Dei magis, quam homo?

Respondet Sanctus Thomas art. 3. quæst.

93. Angelum simpliciter, & absolute esse magis ad imaginem Dei, quam hominem; at hominem secundum quid magis esse ad imaginem Dei, quam Angelum. Probatur, & explicatur. Creatura enim principaliter, & primario dicitur esse ad imaginem Dei, in quantum procedit à Deo ut similis in natura intellectuali, secundo dicitur procedere ad imaginem Dei, in quantum, supposito, quod procedat ut similis in natura intellectuali, procedit ut similis in quibusdam alijs; sed Angeli, cum habeant naturam intellectualem perfectiorem, quam homines, procedunt ut Deo similiores, & propinquiores in natura intellectuali, quam homines: ergo Angeli simpliciter, & absolute magis sunt ad imaginem Dei, quam homines. At homines sunt Deo similiores, quam Angeli, in quibusdam alijs, puta in hoc, quod sicut Deus filius est ex Deo Patre, sic homo filius est ex homine patre: sicut Deus est totus in toto mundo, totus in qualibet parte mundi, sic anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis: ergo homines secundum quid, & in quibusdam secundoario spectantibus ad rationem imaginis, sunt magis ad imaginem Dei, quam Angeli. Quia Angeli simpliciter sunt magis ad imaginem Dei, quam homines, ideo Gregorius Homil. 34. in Euangelia dicit, quod *Angelus dicitur signaculum similitudinis, quia in eo similitudo diuinæ imaginis insinuat expresse.* Augustinus igitur, dum serm. 27. de verbis Apostoli. & Serm. 23. de verbis Domini dicit, *Deus nulli alij creaturæ dedit, quod sit ad imaginem suam, nisi homini*, loquitur de creaturis intellectu carentibus, non autem de Angelis, qui cum sint magis intellectui, quam homines, magis sunt ad imaginem Dei, quam homines. Idem, Augustinus dum lib. 83. quæst. qu. 51. dicit, quod *homo ita est ad imaginem Dei, ut nulla interposita creatura, formetur à Deo, & ideo nihil est illi coniunctius*, asserit, quod nihil est Deo coniunctius secundum rationem genericam naturæ intellectualis: at per hoc non negat, quod una natura intellectualis sit Deo coniunctior, quàm alia, sicut dum dicitur, quod ignis est subtilissimum corporum, non negatur, quod vnus ignis possit esse subtilior altero, ut S. Thomas aduertit in resp. ad 2.

10. Quæritur nono, vtrum imago inueniatur in quolibet homine?

Respondet Sanctus Thomas art. 4. quod omnes homines sunt ad imaginem Dei secundum naturam, soli iusti sunt ad imaginem Dei secundum gratiam, soli beati sunt ad imaginem Dei similitudine gloriæ. Probatur, & explicatur. Nam quandoquidem homo est ad imaginem Dei secundum naturam intellectualem, magis est ad imaginem Dei in eo, in quo natura intellectualis potest Deum imitari; sed natura intellectualis creata imitatur Deum præcipue in hoc, quod sicut Deus se ipsum intelligit, & amat, sic creatura intellectualis, potest Deum intelligere, & amare: ergo

QVÆSTIO CCLIII.

ergo creatura intellectualis est ad imaginem Dei per hoc, quod potest Deum intelligere, & amare; sed tripliciter creatura potest Deum intelligere, & amare: primo in quantum per naturam est apta ad Deum intelligendum, & amandum; secundo in quantum per gratiam actu, vel habitu Deum intelligit, & amat imperfectè; tertio in quantum per gloriam Deum intelligit, & amat perfectè: ergo tripliciter creatura potest esse ad imaginem Dei: primo per naturam intellectualem; & quia omnes homines, tum iusti, tum iniusti habent naturam intellectualem, omnes homines tum iusti, tum iniusti sunt ad imaginem Dei: secundo per gratiam; & quia soli iusti habent gratiam, soli iusti sunt ad imaginem Dei per gratiam: tertio per gloriam; & quia soli beati habent gloriam, ideo soli beati sunt ad imaginem Dei per gloriam, iuxta illud 1. Io. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Ideo Apostolus ad Rom. 8. dicit, quod illos, quos Deus præstinit conformes fieri imagini filij sui, hos prædestinavit. Consonat Glossa ex Cassiodoro in psalm. 4. super illa verba, *signatum est super nos lumen vultus tui domine*, distinguens triplicem imaginem, creationis, quæ est imago per naturam: recreationis, quæ est imago per gratiam: & similitudinis, quæ est imago per gloriam, per quam nimirum *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*

11. Quæritur decimo, quare cum imago Dei invenitur non solum in viro, sed etiam in muliere, Apostolus 1. ad Corint. 11. dicat, quod vir est imago Dei, mulier autem imago viri?

Respondet, quod quandoquidem homo est imago Dei, in quantum habet naturam intellectualem; non solum autem vir, sed etiam mulier habet naturam intellectualem; non solum vir, sed etiam mulier est imago Dei secundum id, in quo principaliter consistit imago Dei. Ideo scriptura Gen. 1. cum dixisset, *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum*, subdit, *masculum, & feminam creavit eos*, ad significandum, quod non solum masculus, sed etiam femina est ad imaginem Dei, ac dixit pluraliter eos, ne intelligatur in unico individuo uterque sexus fuisse contentus, ut advertit S. August. lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 22. Verum quoad aliquid secundarium ratio imaginis convenit soli viro, non autem mulieri. Nam vir est principium, & finis totius creaturæ. Ideo Apostolus loco citato, cum dixisset, quod *vir imago, & gloria Dei est*, mulier autem gloria viri est explicat, quare hoc dixerit, subdens: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*, ac proinde vir est specialiter imago Dei, in quantum est principium, & finis mulieris, sicut Deus est principium, & finis omnium.

Utrum in homine sit imago Trinitatis secundum mentem, & actus mentis, in quantum habent pro obiecto Deum?

S. Thom. quæst. 93. art. 5. 6. 7. 8. 9.

1. Quæritur primo, utrum in homine sit imago repræsentans Deum, non solum secundum naturam divinam, sed etiam secundum Trinitatem Personarum?

Respondet Sanctus Thomas affirmativè art. 5. huius quæstionis 93. iuxta illud Hilarii lib. 4. de Trinit. circa medium: *Per hoc, quod homo dicitur ad imaginem Dei factus, ostendit Trinitatem Personarum.* Probat: nam ut cum Sancto Thoma quæst. 46. art. 2. diximus quæst. 83. tres Personæ divinæ in Deo dantur ex hoc, quod ex Deo procedit Verbum, & amor; sed Verbum, & amor procedunt in Deo, in quantum Deus habet naturam intellectualem: ergo eo ipso, quod in homine datur imago Dei, in quantum habet naturam intellectualem, datur imago Dei, in quantum in Deo procedunt Verbum, & amor, adeoque in quantum in Deo datur Trinitas Personarum. Quia verò in homine datur imperfecta imago Dei, ac Trinitatis, ex eo, quod homo cognoscat in se ipso imaginem Trinitatis, non sequitur, quod possit evidenter cognoscere Trinitatem divinam Personarum. Etenim dicit S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 6. *Maxima est differentia huius Trinitatis, quæ est in nobis, ad Trinitatē divinā. Et ideo Trinitatem, quæ est in nobis, videmus potius, quam credimus: Deum verò esse Trinitatem credimus potius, quam videmus.*

2. Quæritur secundo, utrum in homine sit imago solius Filij, an etiam Patris, & Spiritus Sancti?

Respondet quosdam apud Augustinum lib. 12. de S. Trinit. cap. 6. docuisse in homine dari imaginem solius Filij. Fundamentum fuit, quia Gen. 1. & 2. homo dicitur factus ad imaginem Dei; sed solus filius est imago Patris, ut dicit S. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 2. ergo homo, dum dicitur esse ad imaginem Dei, dicitur referri ad solum Filium, qui solus est imago, ac proinde dicitur imago solius Filij. Hanc opinionem rejicit S. Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 6. primo, quia homo est imago Dei, in quantum est similis Deo secundum naturam intellectualem; sed natura intellectualis est communis omnibus tribus Personis divinis, quæ sunt consubstantiales: ergo homo est imago omnium divinarum Personarum. Secundo Deus Pater Gen. 2. dicit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: sed si homo esset ad imaginem solius Filij, non dixisset *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, sed Filium alloquens dixisset, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem tuam*: ergo &c. Dum ergo dicitur ad ima-